HENRICUS

12.

23

Amplissime Vir, Mecænas colende.

Tuæ facilitati et humanitati imputandum ~~est~~ habes, quòd ita
frequenter ~~[illegible]~~ propter res Academicas ~~um subsidium~~ te fatigemus
quodque ego nuper ausus sum ~~Tibi~~ negocium ~~dedicationis~~ obla-
tionis tibi ~~imponere &~~ ab humeris meis devolvere ⌐ & imponere.
In ea re primò suspensum me tenuit ⌐ cogitatio, an ille studiorum
meorum foetus DD. Ordd. dedicandus esset. Verebar
enim suspicionem petacitatis & avaritiæ. Rursus
præterire Proceres hujus Reipublicæ, à qua non
poenitendo essem nuper affectus honore, ingrati
esse videbatur. Quum igitur dedicare statuissem,
nihil aliud in votis erat, quàm hoc meum factum
sic accipi, ut cognoscerem, Dominis labores meos
ac studia non esse ingrata. Sciebam non insolitum
esse, ut, labores suos offerentibus, honorarium dare-
tur à Rebuspublicis. Quòd studia atque industriam ex-
citare certum est: quodque videtur iis præcipuè expectan-
dum esse, qui ad hoc ipsum adsciti, ut studiis suis publicum
bonum juvent, neque laboribus neque sumtibus ea in re
parcunt. Attamen, quum mea ista ratio sit, ut ante
hujus libri oblationem plus consecutus sim, quàm
ea ipsa oblatione olim me consecuturum speraveram,
non erat, ne viderer nihil consecutus esse, si non
honorarium, sed favorem eorum, quibus studia cordi
sunt, impetrassem: dummodò ne cuiquam occasio
præberetur specie dedignationis meæ irridendi.
Quod à Magn. Ampl. T. curatum esse, certus sum.
Ideoque, si in isthoc negocio meo actum est, quod agi
decuit ⌐ aut potuit, rogatum velim A. T. ut per hosce (nisi
incommodum) mihi id significet, cistamque cum reli-
quis exemplaribus ⌐ ac clare remittat, quò ea amicis, quibus
destinavi, possim distribuere. Vale, Vir Ampliss.
& favere perge

M. A. T.
observantissimum
J. Coccejum.

26. Martij
1644.